I. N. D. N. J. C.

DISSERTATIO ACADEMICA,

DE

JURE GLADII

SEU

MERO IMPERIO,

Quam

Favente Divinâ Gratiâ,

Consensu Magnifici JCtorum Ordinis,

in Patriâ Academiâ,

quæ est GRYPHISWALDIÆ,

Sub PRÆSIDIO

DN. PETRI MASCOVII,

JCti & Pandectar. Profess. Ordinar. Regiique Consistorii in Ducatu Pomeraniæ & Principatu Rugiæ Assessoris, Facultatis Juridicæ h. t. DECANI Spectabilis,


DN. PATRUI, PATRONI ac PRÆCEPTORIS,

devotâ animi observantiâ æternum colendi,

Publicè Ventilandam

ad D. 30. April.

loco horisque consvetis proponit



GEORGIUS BOGISLAUS DE MASCOW,

Nobil. Pomeran.

AUTOR ET RESPONDENS.

GRYPHISWALDIÆ,

Litteris DANIELIS BENJAMINIS STARCKII,

Reg. Acad. Typographi, 1695.

Ad

Charissimum suum

ex Fratre Germano
FILIUM,

Auditorem & Domesticum
per integros qvatuor
& qvod excurrit, annos,

PRÆSES.

QVid comitis laudes multis qvid carmine fingam,
  Vis genio tribuam deniqve multa tuo ?
Haud faciam ; nam qvicqvid erit, res ipsa loqvetur,
  Qvaleqve sit, qvod das ingenii specimen.
Gratulor ex animo tibi doctæ munera mentis,
  Et precor, ut fructus laudis in orbe ferant!

MASCOVI, pia qvem virtus commendat amicis,
  Cujus inextincto tactus ab igne cales:
Dum Tu, *barbariem secli vitiumqve perosus,*
  In cathedram gladii jus *trahis, idqve probas:*
Arctoi blande Solii decus annuit ausis
  REX CAROLUS, gladium qvi gerit, *ecce, tuis.*
Est aliqvid placuisse Deis. præsentia cœli
  Dat stimulos animis, nec leve calcar habet.
Ausis ergo tuis, MASCOVI, macte! Secundant
  Ominibus Reges te Proceresqve bonis.

Generoso Dn. de MASCOV, Speciminis Academici Auctori Solertissimo, Amico Svavissimo, αὐτοσχεδιαστὶ faciebat

M. CHRISTIANUS Saalbach/
Poëtic. ac Orator. Prof. Ordinar.

Imperii

IMperii gladiiqve simul qvos jura tenere,
(Dum Cathedræ laurum vindicat) auctor ait,
Huic, fas, esse meros Vos clementesqve Patronos:
Pro VOBIS gladium vibrat in arte Cliens.

Prælytæ Præ-Nobilissimo
DN. GEORGIO BOGISLAO DE MASCOU,
Jura Gladii Meriq; Imperii
feliciter disputanti
amicæ gratulationis ergo
f.
M. BENJAMIN Potzerne/
Prof. Reg.

DE jure & gladio *solers dum disseris, imples*
Nominis & studii munia cuncta tui.
Jus *armas* gladio, gladium *dum* jure *recondis,*
Adstruis imperio *subdita jura* mero.
Gratulor insignes qvas continuasqve Togatæ
Fers ac ostentas Nobilitatis *opes!*

Generoso Nomini Animoqve Elegantissimi
Dn. Respondentis l. mq; dabam.
M. JO. PHILIPPUS PALTHENIUS,
Moral. Prof. Ordin.

QVod Tu, MASCOVI, conscendis pulpita nostra,
Ac linguâ doctâ prælia docta subis,
Laudo: sic pergas, tua cœpta Jehova secundet,
Ut Patriæ præstes commoda multa tuæ.

In honorem Generosi Dn. Respondentis, Contubernalis ac Agnati svavissimi, gratulabundus hæc apposuit
B. P. M. G. P. LL. St.

B. C. D.

DISPUTATIONIS
DE

JURE GLADII, sive MERO IMPERIO.

PRÆLOQVIUM.

UT aliàs in rebus cognitione & usu dignissimis, ea παροιμίας duo vocabula Platonica junctim posita, δύσκολα τὰ καλὰ. Difficilia qvæ pulchra, concurrere solent: ita etiam in jurisdictionis & Imperii materiâ, cum ea extra controversiam sit utilissima, simul etiam est difficillima. Nobile subinde juris civilis caput, & verè clavis universi dictum Zasio ad *L. 3. ff. de Jurisdict.* cujus cognitio ad intelligentiam magnæ partis juris Romani imprimis necessaria, innumeris ferè licet difficultatibus nimia interpretum licentia involutum sit; adeò ut multi etiam existimarint, nullum in toto jure tam salebrosum locum esse, qvàm qvi est de Jurisdictione & Imperio. *Coras. 3. Miscellan. 17.* Et sciunt omnes eruditi, qvi in legendis Dd. commentariis aliqvam impenderunt operam, qvod nulla studii nostri pars confragiosior, nulla qvoqve qvæ magis somniis & deliciis Veterum deturpata sit, Feldm. *in tr. de Jur. in Re & ad Rem. c. 22. §. 18.* de qvâ post Muretum Obrecht. *de Jdict. c. 1. n. 3.* Etsi in aliis juris partibus satis graviter peccarunt Pragmatici, tamen in hâc omnem modum excesserunt. Et ut in ceteris aliqvid vidisse, hîc planè cœci fuisse videantur. Attamen nullâ deterritus difficultate, qvæ interdum vix corticem lambere sinet, sed motus utilitate magis, non omnem qvidem Jurisdictionis materiam sed ultimum ejus sive membrum, sive, ut vulgò Dd. volunt, licet parùm accuratè vid. Feldmann. *d. l. §. 16. & 18.* Speciem, nimirum Jus Gladii s. Merum Imperium in præsentiarum considerandum, explanandum, placidæqve collationi submittendum duxi. Faxit supremum Numen FELICITER!

THES. I.

NE verò illotis, ut ait Romanus ille JCtus Cajus *in l. 1. ff. de Orig. Jur.* manibus tractationem hujus materiæ aggrediar, operæ pretium erit, in Rubrum Dissertationis inqvirere & de verborum intellectu qvædam præmittere, cum omnis disciplina & tractatio à verborum cognitione incipere soleat. Bald. ad *l. 10. C. de oper. libert.* nemoq; res probè intelligat, nisi qvi prius verba enodaverit. Matth. Stephani *de Jdict. lib. 1. c. 1. n. 8.* Verba enim, ut Plato ait in Cratylo, sunt instrumenta, qvibus res significantur: unde & Aristotel. *4. Metaphys. 10.* à significatione nominum incipere docet: nisi enim homines conveniunt in significatione nominum, non potest de rebus inter eos esse disputatio, Stephan. *d. l.*

II.

Qvantum igitur Juris, qvo de jam agimus, denominationem attinet, variis id denotatur appellationibus, qvamvis & hic posteriora tempora à prioribus distingvenda sunt. Cum enim juxta Ciceronem *in Orat. pro Cæcinn.* Omnia judicia aut distrahendarum controversiarum, aut puniendorum maleficiorum causa reperta sint. Et verò judicia distrahendarum controversiarum uno, *Jurisdictionis* nempe verbo veniant: Nullum tamen unum fuit verbum, qvo potestas maleficiorum coërcendorum significabatur (præterqvam qvod interdum *Qvæstiones* abscisè legamus pro judiciis maleficiorum) sed vulgò qvæstiones publicæ, vel qvæstiones legum, leges publicorum judiciorum, judicia publica, exercitium judicii publici, cognitio de criminibus. *l. 1. §. 1. ff. de Offic. ejus cui mand. est Jdict. l. 2. §. 32. ff. de Orig. Jur.* & similibus verbis describi videmus. Posteà tamen & non multò ante Pauli & Ulpiani tempora, Jus Gladii & Merum Imperium dixere: Scip. Gentil. *de Jdict. lib. 1. cap. 2.* Potestas Gladii & absolutè Potestas. Moribus & vulgò nunc apud Interpretes, criminalis Jurisdictio: A nonnullis Jus Vitæ & necis: Superior seu alta Jurisdictio apud Saxones: Germanicè dicitur die Blut-Bahn / Ober-Gericht / Malefitz-Gericht / peinliche Halß-Gerichte: Belgicè die hohe Juridictie, Halß-Herrligkeit.

ligkeit. Vinn. *in tr. de Jurisd. c. 1. n. 1.* Besold. *in Thes. Pr. verb.* Blut-Bahn / Halß-Gericht / Wehn. *observ. pr. verb.* Zent. *&c.*

III.

Jus Gladii dicitur in *l. 6. ʃ. 8. ff. de Offic. Præsid.* & Gladii potestas in *l. 3. ff. de Jurisd. l. 6. pr. ff. de Offic. Proc. & Leg. L. 70. ff. de Reg. Jur. l. 74. Codice Theodos. de Decur.* Cum verò verbum *Gladii* ambiguum sit, & diversimodè accipi soleat, modò propriè, modò allegoricè vel figurate: & insuper aliqvando latius, aliqvando strictius: Idq; non tantum in Sacris sed & in Jure nostro, ambiguitas hæc plenius excutienda videtur. In Sacris enim usurpatur aliqvando pro bello civili & domestico *Matth. X. 34.* Ibi: *Non veni mittere pacem sed gladium:* nonnunqvam pro verbo DEI, qvo solo resistere dicitur Sathanæ ut vis ejus extingvatur. *Ephes. VI.* aliqvando pro dolore *Luc. II. 35.* Ibi: *Tuam ipsius animam pertransibit gladius:* Propriè & materialiter verò, pro ense fabrili s. instrumento ferreo incisivo, non uno in loco reperitur ut Judith. *Cap. XIII. 8. Marc. XIV. 47. Luc. XX. 38. 2. Reg. III.* Similiter in Jure nostro Gladius modò propriè accipitur, modò figuratè: & qvidem hoc modo vel *generaliter* pro potestate exercendi criminale judicium & animadvertendi in vitam hominis *l. 1. ʃ. pen. ff. de Abigeis l. si quis filio ʃ. sed & ff. de injust. & irrit. testam.* vel *specialiter* pro qvacunq; gravi coërcitione, seu pœnâ qva Rei capite plecti solent *l. solet. 6. ff. de Offic. Proc. L. 74. nemo potest. ff. de Reg. Jur. l. 31. C. ad L. Jul. de adult.* Nam L. Pompeja ad Jus Gladii vel Merum Imperium omni dubio procul pertinet, qvæ tamen Reum gladio non punit. *ʃ. 4. Inst. de Publ. Judic.* sic qvoq; L. Corneliæ de Falsis pœna eo spectat, & in delinqventem non gladio animadvertit, sed deportatione cum publicatione bonorum *l. 1. ʃ. fin. ff. ad L. Cornel. de fals.* vel *specialissime* pro pœna speciali, qvæ perficitur gladio, *l. pen. C. qui accusar. poss.* Dn. Petr. Müller. *ad l. 70. ff. de R. J.* Similiter propriè & strictè pro ense fabrili, seu pro instrumento ferreo gladius accipitur, in *L. 8. ʃ. 1. ff. de pœn.* ubi securi & telo opponitur: Qvò & pertinet sermo Caracallæ Imperatoris, qvo increpuit Papiniani percussorem, qvod securi non gladio hunc percusserat: *Oportuit gladio te exequi jussum meum, non securi:*

 Spar-

Spartian. *in Carac.* Qvalis verò hîc intelligatur gladius, Dd. in diversum abeunt; alii propriè & materialiter, ut ajunt, accipiunt gladium, qvam sententiam inter alios probat Muscornius *in tr. de Jurisd. n. 41.* Alii civilem, qvæ communior est Dd. sententia. vid. Besold. *consil. 3. cap. 1. n. 13. & 14.* Ego hanc potius probo, qvam illam sententiam: cæterum ferè perinde esse credo sive materialem intelligimus gladium seu ensem carnis incisivum, sive civilem punitivum delictorum, hoc est, qvodvis extremum supplicium, graviorem delictorum coërcitionem, & utrumq; subsistere posse censeo, modò in priori significatione à principaliori & digniori fecisse denominationem (inde forsan qvod eo tempore gladii pœna usitatior & humanior, unde olim Nobiles capite damnati, qvi antea securi feriebantur, gladio percuti cœperunt. Bodin. *lib. 6. de Republ. c 6.*) Vel etiam, qvæ & ipsa non absurda opinio est, ut nemo non videt, inde, qvod gladius meri imperii symbolum summæq; esset potestatis signum; gladius enim index est justitiæ & insigne superioris sive Regiæ potestatis, ad qvam significandam gladio cingebantur, qvi eâ præditi erant, *Roman. XIII. 4.* Hillig. *in Donell. enucl. lib. 17. c. 8. lit. P. P.* Gothofred. *ad C. 70. ff. de R. J. §. 1.* Tabor. *In Armament. Justin. in protheor. §. 10. & 12. & c. 31 §. 1. 2. & 3.*

IV.

Dicitur porrò hoc Gladii Jus vulgò à Dd. in LL. verò non nisi semel atqve iterum, IMPERIUM MERUM in *l. 3. ff. de Jdict. l. 1. §. 1. ff. de Offic. ejus cui mand. est Jurisd.* Scipio Gentil. *de Jurisd. lib. 3. c. 3.* Est qvidem Imperii simpliciter positi vocabulum polysemon & diversimodè accipitur, prout latius deduxerunt Pauermeister, *de Jdict lib. 1. c. 9. & 11.* & jam ante hunc Matth. Stephan. *in tract. de ead. mater. lib. 2. c. 2.* Qvo Lectorem remitto, ne actum agam: Interim breviter tenendum qvod hoc loco accipiatur pro potestate judicantis de crimine sive animadvertendi in facinorosos. *Merum* verò unde dictum sit, iterum inter Dd. non convenit, prout videre est ap. Joach. Steph. *de Jurisd. Judæor. lib. 1. c. 2. n. 6. & seqq.* ubi plures recenset opiniones: interim in eo conveniunt, qvod ita dicatur ad oppositionem Imperii mixti, qvod

etiam *non merum* dicitur in *L. fin. ff. de Offic. ej. cui mand. est Jdict.* sed in qvo ratio oppositionis consistat, controversum est. Tres verò præcipuæ videntur sententiæ qvæ & veritati proximè accedunt, uti loqvitur Heidenr. *Disp. Inaug. Altorph. Anno 56. hab.* qvorum licet Autores sese invicem oppugnent, concurrere tamen forsan potuere, nec absurdum est, ut unius appellationis introducendæ aut conservandæ plures causæ sint: Primò dici Merum, qvod Jurisdictioni civili non cohæreat, vel inserviat, adeoqꝫ purum ab eâ consistat (arg. *l. 31. pr. ff. Depos. l. 22. §. 3. ff. Mandati l. 82. prope med. ff. de cond. & demonstr. l. 5. ff. de Verb. Oblig. l. 27. ff. de donat.*) populoqꝫ Romano reservatum, nec Magistratibus, nisi lege speciali aut etiam privatis communicatum & tributum sit. Stephan. *d. l. n. 8.* Deinde Merum dici, qvod non solum à civili sed &, ut multi volunt, & infra videbimus, criminali Jurisdictione separatum fuerit, qvasi illud solum non sufficeret nisi etiam hoc accedente Hillig. *in Donell. enucleat. 17. c. 8.* ubi tamen qvomodo id fiat, non exprimit, qvod autem facit Lampad. *de Republ. Rom. c. 15.* Deniqꝫ Merum dici qvasi summum *L. unic. ff. de Offic. Præf. Prætor.* Stephan. *d. l.* Prima universalior est & ad LL. directa commodior: altera LL. non adversa, ut potius Meri Mixtiqꝫ oppositionem firmet, modo distinctione adhibitâ rectè explicetur. Tertia cum prioribus concurrens conducit ad conservandam modernam appellationem, ubi hoc jus das hohe Gericht / das Ober-Gericht dicitur, & qvi hoc jure præditi sunt, Ober-Richter appellantur. conf. Feldm. *de Jur. in Re & ad Rem. c. 22. th. 110. seq.* Heidenr. *d. l. th. 63.*

V.

Porro & Criminalis Jurisdictio hodiè communiter dicitur, Feldm. *d. l. c. 23. th. 28.* Licet id multis modis inter alios improbet Obrecht. *de Jurisd. c. 2. & 3.* ubi criminalem jurisdictionem à Jure Gladii s. Mero Imperio separat, illam in cognitione, hanc in executione consistere putat, ast perperam: Jus Gladii s. Merum Imperium enim duobus constat; cognitione de crimine facinorosi, itemqꝫ animadversione in facinorosos: Utrumqꝫ igitur sub meri imperii sive criminalis jurisdictionis appellatione continebitur. Interim satis exprimi hâc appellatione hujus juris nostri natura con-

ditio & effectus vix negari poterit. Num verò Juri Romano & I.L. conveniens sit hæc appellatio? seu, num tam latè pateat vocis *Jurisdictionis* significatio, ut Jus Gladii sive Merum Imperium i. e. criminalium causarum decisionem complectatur? acriter à Dd. disputatur. Affirm. Wesenb. *in ff. h. t. n. 2.* Frantzken. *ad ff. h. t. n. 1. 2. & 3.* Scip. Gentil. *de Jdict. lib. 1. c. 2.* Matth. Stephan. *de Jdict. lib. 1. c. 3. n. 4.* Jacob. Gotofredi *ad l. 70. ff. de Reg. Jur.* & multi alii. E contra negant Ludw. & Hahn. ad Wesenb. *d. l.* Bachov. *ad Treutl. 1. D. 2. th. 1. lit. A.* Sutholt. & novissimè Feldmann. *d. tr. c. 22. n. 19. & seqq.* Sunt qvi distingvunt inter auream, argenteam & ferream sive decrepitam Latini sermonis ætatem, ad hanc, si non plane ad barbarum seculum referunt Constitut. *de Pace constantiæ §. Nos Romanorum.* & divisionem Jurisdict. in civilem sive Bassam & criminalem sive altam. item Diploma Ludovici Pii apud Sigon. *de Regn. Italiæ lib. 4. p. 107. & 123.* Cœterum cum JCti ex qvorum Scriptis Pandectæ compilatæ sunt, vixerint in eâ ætate, ubi Jurisdictionem in usitatiori sensu de causarum civilium cognitione acceperunt, in aprico est, qvid hac de re sentiendum. Alii distingvere maluerunt inter acceptionem vocis Jurisdictionis nativam & dativam, qvæ est sententia Taboris *in Disput. Wesenb. Disp. 2. q. 21.* qvam novissimè probat Scrag. *in Introduct. ad ff. de Jdict. n. 11.*

VI.

Deniq; *Jus Gladii* etiam Jus Vitæ & Necis à nonnullis dicitur, Vid. Joach. Steph. *Jdict. Judæor. c. 2. n. 43. & 53.* Scip. Gentil. *de Jdict. n. 3. c. 2.* Sutholt. *in aur. dissertat. de Jdict. aph. 99. & 382.* Tulden. *ad Cod. tit. Jdict. n. 2.* Feldm. *ad ff. ad l. 6. ff. de Off. Procons. §. 6.* Licet enim facinorosis non semper vita naturalis adimatur, vel delinqventes pœnâ capitali plectantur, sed alia qvadam graviori pœnâ, vel coërcitione puniantur, Jus Gladii tamen s. Merum Imperium exercetur. Vid. Besold. *supr. cit. Consil. 3. c. 1. n. 18. 19. & seqq.* Ut adeo Necis jus à potiori parte vel supremo Meri Imperii gradu rectè appelletur. Sed cur *Jus Vitæ* non ita constat: Non certè ideò, qvod Reis sive delinqventibus pœnam mortis remittere possit, qvi hoc Jus Gladii sive Merum Imperium habet, utpote qvod apertè falsum est. Jus aggratiandi enim sive facultas Reis

pœna-

pœnarum veniam indulgendi Regalibus & juribus Majeſtatis annumeratur, neminiq; competit, niſi qvi Majeſtate propriè ſic dicta vel analogica pollet. Cluten. *in Syllog. rer. qvotid. th. 8. lit. g.* Bodin. *lib. 1 de Rep. c. 10.* Mev. *ad Jus Lub. 4. lit. 15. art. 1. n. 5. & 10.* Carpzov. *Pr. Crimin. q. 150. n. 8. 14. & ſeqq.* cumprimis Lauterbach. *in Vol. 4. Diſput. Tübing. D. 9. de Jur. aggrat. th. 1. 2. 3. & 4.* Sed potius, ut videtur, à facultate abſolvendi, Reum ſcil. innocentem, hoc enim non minus eſt Juris Gladii ſ. Meri Imperii qvàm nocentem condemnare & punire, idq; ita omnes Dd. ſentire ſcribit. Nicol. Bellonus *lib. 3. Supput. c. 17.* *Innocentem* dixi: confeſſum namqve vel convictum non abſolvere ſed condemnare convenit, Clarus *lib. 5. Crim. §. fin. q. 65. & ſeq.* Scip. Gentil. *ſupr. cit. loc. libr. 3. c. 5.* Ceterum (qvod obiter hic notandum) Judæi hanc ſummam vitæ necisq; poteſtatem non Jus Gladii nec Merum Imperium, ſed ſceptrum occidendi & vivificandi vocarunt Joach. Steph. *cit. loc. lib. 1. C. 7. n. 8.* Matth. Steph. *de Jdict. lib. 1. c. 7. n. 2.*

VII.

His præmiſſis, ſeqvitur jam Definitio realis Juris Gladii ſ. Meri Imperii. Definiverunt autem illud Interpretes diverſimodè vid. Obrecht. *de Jurisd. c. 3. n. 18. c. 2. n. 4.* Qvod ſit notio criminalium cauſarum, nominatim certis perſonis lege conceſſa: Alii, qvod ſit jurisdictio in coërcitione poſita, Govean. *ad L. 3. ff. de Jurisd.* Sed neutra ſufficiens eſt per ea, qvæ eleganter & nervose deduxit Bacchov. *ad Treutl. 1. D. 3. th. 3. lit. C.* & Sutholt. *de Jdict. aph. 388.* Ab aliis definitur: Qvod ſit Imperium in jure dicendi de cauſis criminalibus & in condemnatos animadvertendo conſiſtens: Noviſſimè Dn. Strykius *in Specimine Jur. Modern. ad 5. Libr. Pand. tit. de Jdict. th. 6.* Poteſtas de criminibus qvibuscunq; cognoſcendi eaq; puniendi: Sed forſan non deeſt, qvod & his opponi poſſet; ideoq; non video cauſam ſufficientem, cur non retinenda ſit potius ea, qvæ JCti Ulpiani eſt & reperitur, *in L. 3. ff. de Jurisd.* *Qvod ſcil. ſit poteſtas animadvertendi in facinoroſos homines:* Et vix eſt, qvod ſatis bona non ſit: Conſtat ſiqvidem genere proprio & adæqvato (poteſtatis ſcil.) & differentia ſpecifica, in ver-

in verbis animadvertendi in facinorosos homines: maximè cum ab aliis qvoq; & non exiguæ authoritatis JCtis probata sit, & inter alios à Matth. Stephani *de Jurisd. lib. 1. c. 6.* Scip. Gentil. *d. l. lib. 3. c. 3.* Zœs. *ff. h. t. n. 14.* Sutholt. *cit. Dissert. aph. 392. & seqq.*

VIII.

Potestatis verbum loco generis ponitur, rectius qvàm *jurisdictio*, per ea qvæ tradit Forster. *de Succ. ab Intestat. lib. 1. c. 17.* vel *Imperium*, qvia substantia Juris Gladii sive Meri Imperii clarius & dilucidius demonstratur per verbum *potestas*, qvo modo & maxime *in d. l. 3.* per eminentiam *potestas* dicitur. Cujac. *21. Obs. 12.* qvia exercitium magis in oculos incurrit, qvàm in Jurisdictione, & magis in Imperio mero, qvàm in mixto. Vultej. *in Jur. Roman. lib. 1. c. 12.* Bocer. *class. 4. Disp. 9. th. 2.*

IX.

Verbum *Animadvertendi*, additur in definitione satis commodè: Nam licet multis in locis ad executionem referatur, *l. 8. §. 1. ff. de pœn. l. 11. ff. de Offic. Procoss.* tamen aliqvando solam cognitionem denotat, *arg. l. 6. pr. ff. de Offic. Procoss. 6. unic. C. eod.* aliqvando cognitionem & condemnationem simul, qvod apertum evadit, ex *l. 15. §. qvod ait 28. ff. de injur. l. 1. §. 1. & l. 3. §. 9. ff. de Minor.* Et si vel textus citatos aliter explicari debere qvis contendere vellet, id tamen certum manet, qvod animadversio sive punitio, sententiam tamen & hæc (sententia scil.) causæ cognitionem necessario, sive includat, sive supponat. Potissima enim Juris Gladii sive Meri Imperii vis & ἐνέργεια consistit non in executione, sed in jure pœnam delinqventibus, prævia causæ cognitione legitimoq; habito processu, præstituendi & inferendi. Thom. Michaël. *de Jurisdict. posit. 75.* Imo animadversionis ideò hîc fit mentio, qvia in criminalibus principaliter & directò veniat executio, ita tamen ut non sit à cognitione sejuncta: qvod secus est in civilibus, ubi executio modo per accidens venit, & aliqvando supervacua est, si scil. Prætoris jussui pareatur, Sutholt. *d. l. aph. 389. & 394.*

X.

Facinorosi vocabulo in hâc definitione usus est Ulpianus, qvia in gra-

id gravitate superat omnia alia: plus enim est facinorosus qvàm maleficus, & qvia generale est, omnia complectens delictorum genera, qvæ Legibus muniuntur. Scip. Gentil. *lib. 3. de Judict. c. 4.* ***Hominum*** autem ideò fit mentio, qvia hi *proprium, adæqvatum & principale* objectum Juris Gladii sive Meri Imperii constituunt. Sutholt. *d. l. aph. 395.* Qvamvis enim illud in cadavera, brutaq; animalia, imò in res inanimatas qvoq; aliqvando extendatur: Id tamen raro fit & alio fine, ut infra in subject. pass. videbimus, ideò etiam definitioni inclusa haud sunt. arg. *L. 4. & seqq. ff. de LL.* Scip. Gentilis *d. l.*

XI.

Definitionem excipit Divisio: Sed cum, ut mihi videtur, Jus Gladii s. Merum Imperium unum sit, suis utut constat partibus, vix alia datur hujus Juris Gladii sive Meri Imperii divisio, qvàm qvæ ab objecto vel pœnis seu pœnarum gradibus (de pœnarum gradibus dico, non pœnarum generibus sive modis coërcendi, hi enim infiniti fere sunt, illi verò certi & definiti, *L. 28. ff. de pœn.* Hahn. *ad Wesenb. de Judict. n. 6. p. m. 159.*) desumitur, ut contra Zasium docet Obrecht. *d. l. c. 7. th. 40.* de qvibus infra in causa finali plura videre licet: Dividitur itaqve in summum & non summum: ***Summum*** nihil aliud est qvàm qvod capitalem pœnam irrogat: ***Non summum*** qvod non capitalem pœnam infert, verum leviorem. Forster. *in jur. civ. histor. lib. 2. c. 86. n 20.* Deinde dividi potest in plenum & minus plenum. ***Illud*** est, qvod continet potestatem de omnibus delictis, & qvasvis pœnas irrogandi: ***Hoc*** verò qvod ad certa delicta & certas pœnas est restrictum, Bachov. *ad prot. tit. de Judict. sub rubr. de Mer. Imper. n. 6.* Sutholt. *cit. loc. aph. 390.* Struv. *Exerc. ff. 4. th. 78.* & Schwendendorff. *ad Ekbold. in comp. ff. §. 10. de Jurisd.* Idqve non tantùm olim apud Romanos obtinebat, sed & hodie non uno in loco reperitur. Non enim necesse est, ut unus jus de omnibus criminibus cognoscendi, & qvasvis pœnas irrogandi habeat. Bacchov. *d. l.* Sic Præfectus vigilum cognoscere de criminibus potuit, servos, fures punivit, non tamen plenè coërcendi jus habuit. *L. 3. §. 1. ff. de Offic. Præf. Vigil. L. pen. ff. de condict. caus. dat.* Sutholt. *d. l. aph. 390.*

Præses Provinciæ Jus Gladii habuit *l. 6. §. 8. ff de Offic. Præsid.* Deportandi tamen in insulam jus ei datum non est. *L. 6. §. 1. ff. de interd. & releg. L. 1. §. 3. ff. de Legat. 3.* vid. Strauch. *Dissert. Jur. Univers. 20. th. 9.* & ibid. Thomasius *in not. Frantzken. ad tit. de Offic. Præsid. n. 4.* ubi in hujus rei rationem inqviritur. Et hodiè, licet non multis in locis juxta Besoid. *in consil. 3. c. 1. n. 1.* hoc reperitur, ut divisum qvasi sit merum Imperium. Sic Colonienses in criminibus apprehensionem qvidem habent, incarcerationem, inqvisitionem & torturam: sententiam tamen ferre non possunt & multò minus exeqvi, ut potius delinqvens sive capitis reus Archi-Episcopo Electori tradatur, qvi cum per Præfectum Blut-Richter judicat & executionem mandat. Sic Civitati Spirensi qvoqve ante deplorandam à Gallis desolationem in Camerales executio, Cameræ verò Merum Imperium qvod in cognitione, processu & condemnatione versabatur, competebat. Denaisius *in Disput. de Mer. Imper.* & hujus Adsertione *de Jdict. Camer. Imper.* confer. Matth. Stephan. *de Jdict. lib. 1. c. 3. n. 65.* Simile qvid inter utrumqꝫ Senatum Academiæ & Urbis Rostochii ex mutuo pacto obtinere, ex Formula Concordiæ inter Duces Megapolenses & Urbem Rostoch. super Academia 1563. inita. §. zum vierdten. refert Bajer. *ad Snobel. Disp. ff. 2. th. 3.* Idqve non uno in loco obtinere Dn. Stryk. *in supr. cit. Specim. Jur. Mod. ad tit. de Jdict. §. 10.* ex multis Actis ad Ampliss. Facult. Jurid. Viadrin. se compertum habere scribit. Ubi elegantem qvæstionem subjungit, Anne judici executionis nonnunqvam acta inqvisitionis sint communicanda, an verò ob solam sententiæ communicationem, Reo ultimum infligere supplicium teneatur? Et R. ibidem, h. m. Si sententia ex consilio JCtorum lata sit & Reus sive inqvisitus non adducat nova defensionis argumenta, judex executionis exeqvi sententiam teneatur, si verò aliter se res habeat, remittendum esse reum ad judicem criminalem vel ad minimum ipsi sunt acta communicanda, ne innocens rapiatur ad supplicium & contra conscientiam qvid facere teneatur. Sed ego regulariter judici executionis non competere cogntionem puto.

XII.

Post expositionem generalem eorum qvæ ad *Juris Gladii* naturam

ram sive essentiam spectant, seqvuntur jam Causæ. Et qvidem Juris Gladii s. Meri Imperii Causa *Impulsiva* vix alia esse potest qvam Necessitas & Utilitas; Interest enim Reipublicæ, ne delicta maneant impunita *L. 13. ff. de Offic. Præsid. L. 51. in fin. ff. ad L. Aqvil. L. 14. C. de accusat.* Causa *Efficiens Remota* DEUS est, qvi omnis potestatis fons est. *Rom. XIII.* & omnem Imperii vim constituere dicitur *in Nov. 83. c. 6.* Hinc & potestas hæc penè divina plerisqve populis visa fuit, & non hominum sed Deorum esse existimarunt. Vincent. Cabot. *variar. jur. dist. 2. Disp. c. 5.* Joach. Stephan. *de Jdict. lib. 1. c. 6. & 7. & lib. 2. c. 2. & 3.* Causa *Proxima* est summa in Republ. potestas, qvæ id vel Lege, vel SCto, vel Constitutione specialiter concedit, *L. 1. ff. de Offic. ejus cui mand. Jdict.* non *Magistratus*, utpote cui tribuitur saltem ex speciali Legis vel Principis concessione, adeoq; non proprio sed adventitio jure id exercere potest, idq; ob rei gravitatem, in qvâ pœnitentiæ locus non est, & qvod in hoc agatur de summa omnium re, de capite, vita, libertate, civitate atqve de tota hominis fortuna, ut mirum non sit qvod sibi suprema potestas hoc jus reservaverit, neminiqve hujus exercitium permiserit, qvam cui vel Lex, vel SCtum, vel Principis Constitutio hoc indulsit qvi & publici viceqve populi vel Principis exercitionem tum habere dicebatur. Feldm. *in Comm. ff. ad l. 8. ff. de Offic. Procons. th. 5.* Sic primis qvidem temporibus in Rep. Rom. ipsi Reges Jus hoc Gladii exercuere. Struv. *exerc. ff. 4. th. 75.* & Sutholt. *d. l. aph. 382.* His post exactis Jus & Imperium hoc summum penes Consules fuit, usq; dum Valerius Publicola, latâ Lege, ne qvis injussu populi in caput civis Romani animadverteret, iis hanc potestatem abrogavit. *L. 2. §. 16. ff. de Orig. Jur. Flor. 1. c. 9.* Halicarn. *lib. 5. c. 19.* Liv. *2. c. 8.* Exinde populus stante adhuc Republ. qvotiens usus & necessitas postulavit, hanc potestatem, cui visum fuit, demandavit, *cit. L. 2. §. 23. ff. de Orig. Jur.* Delata verò rerum summa ad Imperatores: ut aliarum rerum omnium arbitrium sic & Jus Gladii ad solum Principem, tanqvam legitimum populi Successorem translatum est, & hic solus qvibuscunq; voluit, specialiter concessit, non modo *Magistratibus*, sed etiam *Privatis*; à lege enim sive Principe non à jure Magistratus dependet. *cit. L. 1.*

 de Offic.

de Offic. ejus cui mand. Sutholt. & Struv. *dd. ll.* Causa *Propinqva* itaq; erat Voluntas primò Populi postea Principis, qvi, ut jamjam dictum, prout crimen aliqvod incidebat, de eo ipse cognoscebat vel ejus cognitionem, cui placebat, mandabat seu committebat. Postqvam autem tàm in urbe, qvàm in provinciis hoc Jus Gladii seu Merum Imperium certis Magistratibus perpetuo & qvasi ordinario jure concessum, adeoqve qvæstiones perpetuæ factæ sunt. Vid. Vinn. *de Jurisd. c. 2. n. 1. 4. 5. & seq.* Bachov. *ad prot. p. 370. n. 13.* Sutholt. *d. l. aph. 383. seq.* Duplex causa propinqva constitui potest, altera *instrumentalis*, qvæ sit Magistratus ejusmodi creatio: altera *principalis*, voluntas summæ potestatis, Lege vel simili juris constitutione declarata. *d. l. 1. ff. de Offic. ejus &c. l. 6. ff. de Offic. Procoss.* Qvam utramq; causam confundere videntur, qvi hodie Merum Imperium sive Jus Gladii proprio sive Magistratus jure competere tradiderunt, nec non modernis Territoriorum Dominis jure Magistratus Jus Gladii competere contendunt: cum tamen hi Magistratus non sunt, sed qvasi Imperatores in suis terris & tantùm, imò in nonnullis plus in suis territoriis qvam Imperator in Imperio possunt. Vid. Sutholt. *d. l aph. 403. cum 5. seqq.* Qvantum interim huic axiomati tribuendum & qvomodo intelligendum, sit videre est apud Reinking. *de Reg. Secul. & Eccles. lib. 1. cl. 5. cap. 5. n. 57.* Dn. Eyben. *in singular. dissert. de illo problem.* Dominum territorii tantum posse in suo territorio &c. conf. Richter. *Decis. 4. n. 16. & Decis. 15. n. 14.* conseqventer. Hi jure potius superioritatis perpetuo proprio, & ordinario hoc Gladii Jus & regalia juraq; Majestatis possident, adeoq; eo vel simili jure, qvo supra summam potestatem hujus juris causam proximam dixi, utuntur.

XIII.

Subjectum Activum sunt, qvibus Jus Gladii seu Merum Imperium specialiter concessum est, qvod non tantum *Magistratus* erant, sed & *Privati*, qvorum industria & fides perspecta erat (qvi tamen propterea Magistratus non fiebant, ut rectè docet Cujac. *5. Obs. 39. & 21. Obs. 30.* Scip. Gentil. *de Jdict. 3. c. 19.* & eleganter deduxit Bacchov. *in prot. tit. de Jdict. sub rubr. de Mero Imperio n. 14.* A lege enim sive Principe, non à jure vel officio Magistratus, Jus Gladii depen-

dependebat *L. 1. ff. de Offic. ejus cui mand.)* Imò vero est similius, Principem potius in privatum qvam Magistratum inclinasse, utpote cujus potentiam tanqvam libertati inimicam suspectam habuit, ut in Republ. libera, qvæstores Parricidii erant *L. 2. §. 23. ff. de O. J.* & ibid. Coccejus: Sub Principibus, Præfectus urbi *L. 1. ff. de Offic. Præf. Urb.* Præfecti prætorio, Præsides, Pro-Consules &c. *L. 1. §. 4. ff. de Legat. 3. L. 6. §. ult. ff. de Offic. Præsid. L. un. C. de Offic. Præf. Prætor. &c.* Scip. Gentil. *d. l. c. 20.* Et qvando etiam Magistratus hoc Jus Gladii exercebant, non ideò hoc faciebant, qvia Magistratus erant, sed qvia Princeps vel Lex nominatim hoc ipsis concesserit. Cœterum an hâc concessione is, cui concessio facta est, Jus Gladii s. Merum Imperium ipsum *formaliter* & ut proprium, an verò nudum modò ejus exercitium obtinuerit? nobilissima & ante qvadringentos & plures annos Bononiæ inter Azonem & Lotharium, insignes tunc temporis JCtos ventilata qvæstio est: Lotharius Principis remanere, nihilqꝫ concessione qvam nudum ejus juris exercitium transire in eum, cui concessum est, dixit. Azo contra, eum, cui concessio facta, illud ut proprium obtinere contendebat, non qvidem jure Magistratus sed vi specialis concessionis: Et cum Imperator Henricus Lotharii sententiam approbaverit, adeoqve eqvum ex sponsione appositum huic adjudicaverit: Proverbium hoc inde emanavit: *Lotharius iniqvum dixit & eqvum habuit; Azo æqvum dixit & eqvum perdidit.* Jam inter Veteres non modò sed & modernos reperiuntur, qvi Lotharii opinionem probant: Nec desunt qvi Azonis causam defendunt. Et utut negari non possit, qvin diversimodè concessio ab eo, qvi supremâ pollet potestate, i. e. Majestate tam propria, qvam analogica, fieri qveat, vel ut tanqvam *jure proprio* Jus Gladii s. Merum Imperium qvis habeat, aliisqve illud mandare possit: Vel ut *nudum exercitium* ejus juris alicui, sine potestate alteri ea mandandi: maxime cum hodie merum imperium jure patrimonii sæpius conceditur, ita ut etiam in bonis ejus reputetur aliisqꝫ illud vendere & heredibus relinqvere possit: Imò jurisdictio criminalis in feudum data patrimonialis fit, ut eleganter hac de re loqvitur Vinn. *d. l. c. 4. n. fin.* Nullum tamen penes me est dubium, qvin de Jure Civili Lotharii sententia sit verissima per ea, qvæ habet

 Alciat.

Alciat. *2. paradox. 7.* it. Schnobel. *in Disp. ff. 2. & ibid.* Beier. *in not. Sutholt. d. l. aph. 402.* Vinn. *d. l.* Azonis verò opinio de suo tempore & cum post Carol. Magn. forma s. Species Reip. Romanæ jam mutata fuit, citra considerationem Veteris Juris Romani dubio procul intelligenda, prout qvoqve verisimile non est, Azonem, qvi translato ad Germanos Imperio circa Annum 1200. & cum jam fermè 400. annis jura territorialia Principibus Germaniæ usurpata fuissent, vixit, de jure obsoleto respondisse. Sutholt. *d. l.* Ex hoc spontè jam fluit decisio qvæstionis, num hoc Jus Gladii mandari possit? Et de jure Civili indistinctè hoc negandum, vulgò Dd. & rectè censent, cum qvod olim SCto, Lege vel simili causa Jus Gladii mandaretur. Et verò perpetua Juris regula est, qvod qvæcunqve Lege, SCto vel Constitutione Principis specialiter concessa sunt, mandari non posint. *L. 1. ff. de Offic. ej. cui mand. Jdict.* Nec obstat *l. 6. pr. ff. de offic. Procons.* ut pote qvæ de sola custodiarum i. e. reorum, qvi in vinculis & custodiis continentur cognitione i. e. nuda summariaqꝫ præauditione & nudâ notione, qvæ hodiè vulgo informatio dicitur, loqvitur, qvæ jure singulari concessa & in exemplum s. conseqventiam trahi non debeat. Vid. Feldmann. *in Comm. ff. ad tit. cit. l. 6. ff. de Offic. Procons.* tùm qvod extra casum necessitatis illud delegari sive mandari non potuit. *d. l. 1.* Exceptio autem firmat regulam in casibus non exceptis Ludwell. & Hahn. *ad Wesenb. tit. de Offic. ej. n. 3.* qvod & de jure Civili neqvidem ad casum *infirmitatis* extendendum, per ea, qvæ habet Mœstert. mox citand. loco. qvod tamen *de jure Noviss. seu Constit. Crim. Caroli V. art. 2. ibi.* Aus Schwachheit des Leibes / secus se habet. Dissent. Vinn. aliàs *de Jdict. c. 3. n. 2.* Num idem obtineat de Jure Canonico & moribus nostris? inter Dd. non convenit. De jure Canonico Jus Gladii mandari posse statuit & strenuè defendit Mœstert. *de justit. LL. Roman. lib. 1. Dub. 29.* & ante hunc Paulus Busius *ad l. 1. ff. de Offic. ejus &c.* Sed rectius negatur, cum nullus textus Juris Canonici adduci potest, ex qvo hoc apertè probatur, & insuper non facilè inter Jus Civile & Canonicum differentia admittenda. Vid. Vinn. *d. l. c. 3. n. 4. & 5.* Zoës. *ad ff. tit. de Jdict. n. 57. & seq.* & Gentil. *lib. 3. c. 29.* Fachin. *9. controv. 99.* ubi ad contrar. respondetur. Qvod mores attinet,

net, nec hodierna consvetudine mandari posse hoc Jus Gladii seu Merum Imperium vulgo Dd. censent. Vid. Strauch. *dissert. jur. Univ. 20. th. 9.* Struv. *exerc. 4. Syntagm. th. 87. cum ibid. cit.* idq; non tantum ideò qvod nullibi hoc mutatum, qvod autem expressè mutatum non est, cur stare prohibeatur. *l. 27. C. de testam. & l. 29. C. de appellat.* Sed & qvia ne hodie qvidem Jus Gladii s. Merum Imperium, extra casum, qvo jure patrimonii vel in feudum concessum est, jure Magistratus competat Magistratibus: Non Sublimioribus, ut erronee à Dd. vocantur Principes. vid. Sutholt. *cit. l. aph. 405.* nec Inferioribus, qvia sic omnibus competeret, qvod oppido falsum est, cum multi sunt, qvi modo jurisdictionem & mixtum imperium habent. Post Hahn. Petr. Muller. *ad l. 70. ff. de Reg. Jur. not. 3.* Nec adversatur, qvod, qvi Magistratus illud habent, ipsa factâ electione habeant seu nanciscantur, qvod inde transit de uno in alium & successores; Nam non inspicienda hîc est electio Magistratus, sed constitutio prædicti juris, qvæ ab initio specialis fuit, ut non opus sit in qvolibet successore repetere. Vid. Hahn. *ad Wesenb. tit. de Offic. ej. &c. n. 3. & 4. p. 148. & seq. 149.* ubi & aliam adducit rationem, qvod scil. per Constit. Crim. Car. V. casus *absentiæ* & *infirmitatis* frustra exceptus esset, si indistinctè Jure Novissimo mandari posset, confer. Scip. Gentil. *d. l. lib. 3. c. 20. in fin.* Frantzk. *adf. de Jdict. n. 58. & 59.* Sand. *ad l. 70. ff. de R. J.* & Bachov. *ad Treutl. 1. D. 5. & 4. lit. D.* Dissent. alias Wesenb. *d. l.* Zoës. *de Jdict. n. 28. seq.* Gudelin. *de Jur. Noviss. lib. 5. c. 13.*

XIV.

De Secularibus Magistratibus constat, qvod his competere, iisq; suprema potestas Jus Gladii s. Merum Imperium concedere possit. Sed num idem obtineat in Ecclesiasticis, & num penes Ecclesiam esse qveat? non ita liqvidum est; vulgò à Dd. id affirmatur, Zoës. verò *in comment. ad ff. tit. de Jdict. n. 58. & seq.* negativam strenuè defendit & rationes adduxit, qvæ qvidem speciem aliqvam habere, tanti tamen mihi non videntur, ut à communi sententia ea propter recedendum sit; cum enim Jus Gladii circa causas criminales versatur & de his Ecclesia s. Ecclesiastici Magistratus, ut ipse Zoësius fatetur, judicare possunt, hoc jus illis compe-

tere:

tere poteſt: Nec adverſatur, qvod gladium Spiritualem modò habeant, non occidere nec pœnam ſangvinis imponere poſſint, cum, ut ſupra jam oſtenſum eſt, non omnis, qvi Jus Gladii ſive Merum Imperium habet, qvasvis irrogandi pœnas facultatem habeat, ſufficit itaqve, alia ut, qvâ in delinqventes animadvertitur, delicto conveniens pœna imponatur. Vid. *Diſp. de Mer. Imper. Jenæ Anno 7 y.* Præſ. D. Friſen. *habita th. 6. & 7.*

XV.

De Magiſtratu Academico vix dubium eſſe poteſt, qvin Jus Gladii ſ. Merum Imperium ipſi competere qveat, (utut territorium non habeat, utpote, qvod etiam non ad id reqviritur) cum à qvamplurimis Academiis qvotidiè id exerceri in propatulo eſt, & de Ingolſtadienſi, Tübingenſi, Lipſienſi, hâc noſtra Gryphiswaldenſi & aliis tam in Germania, qvam extra eam id teſtantur Dd. Scip. Gentil. *de Jdict. 3. c. 17.* Matth. Steph. *3. c. 12.* Arumæ. *diſcurſ. jur. Publ 33.* & noviſſime de Univerſitate Teutoburgenſi Feldmann. *ad Libr. 2. ff. tit. de Offic. Procoſſ. n. 10.* ubi omnes gradus Meri Imperii Univerſitatem literariam Teutoburgenſem habere dicit. Sed an hoc Jus Gladii ſ. Merum Imperium Academiis ex Conſtitutione Friderici *ex Authent. Habita C. ne filius pro Patre*, competat? altioris indaginis qvæſtio eſt: Et tot ferè ſunt Dd. qvi negant qvàm qvi affirmant, & rationes pro & contra non tam congeruntur, qvàm cumulantur, prout videre eſt ap. Matth. Steph. *c. l.* Wurmſer. *exerc. 5. q. 10.* & cumprimis Helfric. Ulric. Hunnium *in ſingulari Comment. ad cit. auth. habita. c. 2. q. 1.* Affirmativam ut rationibus prægnantioribus ſuffultam mihi defendere placet: Nec, ut hoc obiter adducam, alicujus momenti eſt, qvod ab adverſa parte inter alia qvàm maximè urgetur: Si vigore Authenticæ Jus Gladii ſive Merum Imperium Academiis competeret, penes omnes Academias eſſet, ſed hoc apertè falſum, ut res ipſa docet. E. Reſpondeo: Nonnullæ Academiæ beneficio hujus Auth. renuntiarunt, uti de Academiâ Bononienſi teſtatur Scip. Gentil. *3. de Jdict. c. 17.* In aliis, à Patronis, vel qvi privilegia conceſſerunt in initio hoc jus reſtrictum & ademptnm reperitur, uti de Gröningianâ teſtatur Feldmann. *ſupr. cit. loc. ſ. 10.* & deniqꝫ certum eſt qvod aſſerit Snobel. *exerc. ff. 2. th. 6.* qvod

qvædam

qvædam Academiæ Jure Gladii plenius, aliæ minus plenè utantur. Confer. Gothmann. *in Respons. Academ. 1. n. 110.* & Besold. *de Jur. Academ. c. 6. n. 3.*

XVI.

Nihil hîc addo, qvàm qvod, qvando hodie suprema in Republ. potestas per infeudationem, vel Dominus territorialis Nobilibus suis vel Civitatibus sibi subjectis etiam municipalibus Jus Gladii sive Merum Imperium per subinfeudationem vel alium modum lucrativum, vel onerosum, jure patrimonii, ex peculiari gratia concesserit (qvod facere hodie potis est, qvia Jus Gladii jure proprio Dominii & ad heredes transitorio, maxime jure feudi possidet, qvod porrò per subinfeudationem comunicari potest & patrimonio adjici Dn. Schilter. *ad ff. Exerc. 6. th 8.*) non *communicativè*, sed *privativè* (si non potius cum Dn. Schilter. *cit. loc. th. 1.* mavelis *subordinate*) concessum habeatur. Qvod secus est in Præfectis Principum ac Statuum Imperii, utpote qvi in causis criminalibus minus potestatis habent qvam Magistratus Romani, cum in his toti à jussu Domini sui dependeant & duntaxat Processus Directores & sententiæ ad nutum Principis Executores esse appareant. *Privativè* verò qvando dixi, intelligo hoc, salvo & reservato jure superioritatis. *Peregrin. de jur. fisci lib. 1. tit. 3. n. 33. & consil. 1. n. 41.* Wesenb. *consil. 95. n. 59.* Mynsing. *6. Obs. 99.* Nam ob protractam vel denegatam justitiam, aut mota suspecti qvæstione, vel alio gravamine & argumento jurisdictio relabitur ad Dominum superiorem. Knichen. *de vestitur. pact. p. 2. c. 1. n. 24.* conferatur Dn. Schilter. *supr. cit. Exerc. ff. 6. th. 11. pag. m. 15.*

XVII.

Deinde, qvod Jus Gladii seu Merum Imperium concedatur vel *expresse*, per privilegium &c. vel *tacite*, & hoc modo, vel qvasi per consеqventiã, concesso castro vel alio loco, modo inhæsit hactenus castro universalis jurisdictio vel Jus Gladii sive Merum Imperium, ut plerumqꝫ solet. Schilter. *d. l.* vel per *præscriptionem*: utut enim jure civili præscriptione acqviri non potuerit Jus Gladii s. Merum Imperium, ut qvod nemini competebat, nisi cui Lege, SCto vel Principis constitutione specialiter tributum est. *l. 1. ff. de Offic. ej. &c.* & magis

C publi-

publicam qvàm privatam causam respiciebat. *arg. l. 6. in fin. C. de præscript. 30. vel 40. annor.* Vid. Sutholt. *d. l. aph. 419.* Obrecht. *de Jdict. c. 4. n. 17. 19. & seq.* Moribus tamen, ubi Jurisdictio & Imperium patrimonialia facta sunt, rei feudali regulariter inhærent & cum illa transeunt, præscriptione acqviri possunt, modò adsit habilitas personæ. Vid. Bachov. *ad Treutl. 1. D. 3. th. 7.* & si contra Principem fiat, concurrat tempus, cujus initii non extat memoria. Mynsinger. *consil. 17.* Fachinæ. *8. contr. 29.* Matth. Stephan. *de Jdict. lib. 1. c. 38. n. 33. & seqq. 36.* Bocer. *de Jdict. c. 8. n. 99. seqq. 106.* Contra privatos longa temporis præscriptio sufficit, si cum territorio præscribatur, sola autem & sine territorio 30. vel 40. ann. ut in aliis juribus incorporalibus *l. 3. & 4. C. eod.* confer. Sutholt. *de Jdict. aph. 410.* Matth. Steph. & Bocer. *dd. ll.*

XVIII.

Subjectum Passivum *proprium & adæqvatum* sunt homines facinorosi superstites. Sutholt. *d. l. aph. 395.* sive singulares sint personæ, sive universitas seu communitas. *l. metum. §. 1. ff. qvod met. caus.* Ut enim Universitas delinqvere potest, ita qvoq; puniri debet, ne delicta maneant impunita, *l. ita vulneratus. 51. ff. ad L. Aqvil.* & in eam, cumprimis ob crimen Rebellionis, animadvertitur diruendo, & aratro subvertendo, damnata ejus memoria *l. 21. ff. qvib. mod. usufr. am.* Confer. Schœnborn. *1. Polit. 13.* Gail. *de P. P. c. 9. n. 9.* Mynsing. *4. Obs. 78.* Clar. *5. sentent. §. fin. qv. 16.* Regulariter autem non nisi in viventes & ipsos facinorosos superstites Jus Gladii s. Merum Imperium exerceri solet; Mors enim omnia solvit *l. 1. C. si reus vel accus. mort.* Sebast. Medic. *in tract. Mors omnia solvit p. 2. per tot.* Aliqvando tamen non modò ad cadavera punitorum (mortuus enim homo propriè homo non est *l. hoc legatum. ff. de legat. 3.* & cum deficiat anima, qvæ ei dat esse, homo esse desinit. *c. Moses. 32. q. 2.*) & ad mortuos, imò & ad bruta & alias res inanimatas extenditur Jus Gladii sive Merum Imperium, & *objectum inadæqvatum* constituunt. Hinc punitorum nonullorum (punitorum non damnatorum dico, damnatio enim antecedit executionem & non seqvitur) cumprimis suspensorum & rotâ contusorum cadavera sæpius non sepeliuntur, nisi petitum & impetratum sit. *l. 1. ff. de*

cadav. punit. Carpzov. *pr. Cr. q. 137. n. 70.* Et si qvis in insulam deportatus fuerit, pœna etiam post mortem manet, nec licet eum inde transferre, & sepelire inconsulto Principe. *l. 2. C. eod. l. 3. ʃ. 4. ff. de sepulch. viol. l. 8. ff. de relig. & sumpt. fun.* Sic qvoqve Reus postulatus & in crimine deprehensus (in qvod capitalis pœna constituta est) metu criminis imminentis qvasi confessus, mortem sibi conscivit. *l. 3. ff. de bon. eor. qvi ant. sent.* Cœterum si qvis neqve accusatus, neqve deprehensus, multò minus punitus, post scelus commissum è vivis excesserit, regulariter morte crimen extingvitur. *l. 3. & 6. ff. de publ. delict. l. 3. C. si reus vel accusat. mort. fuer. Regulariter* dixi, nam casus, qvi morte non extingvuntur, collegit Sebast. Medic. *supr. cit. tract. part. 3.* Excipitur cumprimis. 1. Crimen Perduellionis, ob qvod etiam post mortem inqviritur, in cadaver Jus Gladii exercetur & memoria delinqventis damnatur. *l. fin. ff. l. 5. 6. 7. 8. C. ad L. Jul. Maj. l. 24. ff. de pœn.* 2. Crimen Hæreseos cujus ratione etiam post mortem inqviri, & cadavera Reorum effodi, eâqꝫ, qvam vivi pati deberent, affici pœnâ solent. *l. 4. ʃ. 4. C. de hæret. & Manich.* qvod tamen de insignioribus & pestilentissimis hæreticis modò intelligendum, qvales sunt Manichæi, qvi negant SS. Trinitatem & rejiciunt Vetus Testamentum, Feldmann. *de Jur. in Re & ad Rem. c. 30. n. 107.* Qvod ante sesqvi fere seculum famosissimus ille Belgicus Hæreticus David Georgii etiam pòst mortem est expertus, vel potius cadaveri ejus à Senatu Basileensi contigit. Cum enim hic Impostor Anno post C. N. 1544. Basilæam venerit, atqve, ut jus civitatis sibi suisqve concederetur, rogaverit, Johannem de Brugg. se nominans, cum suis ibidem receptus atqve in Anno 1656. mortuus est. Famâ verò postea existente defunctum Johannem Brugensem fuisse Davidem Georgii, malitiosæ Sectæ Georgitarum nomen atqve initium, Belgio plurimas dedisse turbas, qvæ simul ipsam matrem fictitii hujus Messiæ una cum ingenti numero intermisissent. 13. Maji, Anno 1559. publicè falsi atqve hæreseos accusatus, condemnatus, effossus & una cum effigie scriptisqꝫ suis ante portam, qvæ à lapidibus nomen habet, combustus est, uti apparet ex Scripto ab Academiâ Basileensi jussu Senatus ibidem per Hieron. Curionem publicato. Vid. Disp. Dn. D. Bajeri *Anno 1659. Jenæ habita*

de cadaver. punitor. c. fin. th. 20. 3. Crimen repetundarum *l. 20. ff. de accusat.* Qvod & ad alia nonnulla atrociora delicta in Praxi extendi solet. Vid. Gomez. *3. var. resol. 1. n. 79. 80. & multis seq.* Jul. Clar. *l. 5. §. fin. q. 51. n. 15.* & Farenac. *in pr. Crim. var. qq. 10. n. 77.* Nec ridiculum est, in corpus exanime, qvod sensu caret, Jus Gladii exercere, cum pœnæ modò ad emendationem delinqventium irrogari soleant. Respondeo enim, & ad terrorem aliorum delinqventes puniri, qvatenus exemplo utile est. *l. 16. §. fin. l. 28. §. pen. ff. de pœn.* Pœnarum enim duplex finis est. 1. emendatio delinqventis. 2. exemplum & memoria punitionis, qvo & pertinet illud Ciceronis *lib. 1. de Offic. Pœnis utimur contra delinqventes, ne qvid posthac committant ipsi: cæteri vero sint ad delinqvendum tardiores.* Hahn. *ad Wesenb. ad tit. de cadaver. punitor.* Dissentit aliàs Grot. *d. J. B. & P. 2. c. 19. §. 4.* Cui respondet Ziegler. *ad eundem loc. p. m. 421.*

XIX.

Nascitur sub manus una vel altera non inelegans qvæstio, nec indigna discussione. An videlicet cadavera punitorum Medicis ad Anatomiam sint concedenda? Et num hoc cuivis judici vel inferiori Magistratui, cui Jus Gladii s. merum imper. competit, permissum sit? Et qvod primam attinet qvæstionem, cum communi Dd. Schola eam affirmare non dubito, cum, qvod hoc faciat ad perfectiorem artis Medicæ cognitionem, qvam habere magni interest Reipubl. tùm qvod ea, qvæ publici boni & utilitatis fiunt, etsi in alterius injuriam & contumeliam vergere videantur, culpanda non sint, neqve injuriarum teneantur Magistratꝰ corpora punitorum petentibus concedentes. *l. 33. ff. de jurejur.* Qvibus accedit, qvod cum nullus honos debeatur illorum cadaveribus, qvi anteqvam necarentur, servi pœnæ erant & corpora eorum insepulta abjici vel in furcâ relinqvi poterant. *l. 28. §. famosos. ff. de pœn.* nihil etiam referre qvid de iis fiat, qvidni ergo ad Anatomiam usurpari, cum insuper horum σκελετα ad multa conducunt, prout hoc eleganter deduxit. Speckhahn. *cent. 1. qq. jur. 8.* conf. Berens *Disp. ad Instit. 13. coroll. 3.* Lymnæ. *Jur. Publ. tom. 3. lib. 8. c. 4. n. 3.* Carpzov. *pr. crim. q. 137. n. 74.* Interim mihi persvasum habeo, certumqꝫ credo, hoc non aliter fieri debere, qvàm habita ratione puniti cognationis, familiæ & dignitatis qvod

& velle

& v... videntur Petr. Theodor. *in Colleg. Crim. Disp. 10. th. 6. lit. b.* Hahn. *ad Wesenb. tit. de cadav. punit. circa fin.* Insuper dicta intelligo tantum de cadaveribus punitorum; non de puniendis vel supplicio destinatis; Hos enim vivos Medicis ad Anatomen concedere nego, cum Speckhahn. *cit. loc. qvæst. 7.* Berens *d. l. coroll. 5.* pœnæ enim executio non his, sed carnificibus est relinqvenda. Dn. Dr. Schwendendorf. *ad Eckholt. comp. ff. de cadav. punit. §. fin.* utut aliàs Marqvard. Freher. *lib. 1. parerg. c. 25.* in contrarium inclinet. Qvod alteram verò concernit qvæstionem; Negativa mihi verior videtur: qvod enim Principi supremo, vel qvi jura superioritatis habet, non statim inferiori Magistratui competit, licet Jus Gladii sive Merum Imperium habeat, cum hujus potestas se non extendat præter id ... ut Reus legitimè puniatur, ut vel ideò ... puniti, tali judic... vel Magistratui justè contradicant, post Clar. *recept. sent. lib. 5. §. fin. qvæst. 100. n. 2.* & ib. Bajard. *in not. n. 4.* Hahn. *d. l.* conf. Menoch. *de A. J. Q. 285. n. 10.* qvi omnes existimant Magistratum consulere non modo Principem debere, sed & licentiam impetrare. Carpzov. *d. l. n. 74.*

XX.

Bruta & *res inanimatas* qvod attinet, certum est, nonnunqvam in Bruta animadverti pro Jure Gladii s. Mero Imperio; *nonnunqvam* dixi, rarò enim hoc fit, & non nisi ex speciali ratione: Vult hoc ipsum Jus divinum, qvando non tantum *Genes. IX. 5.* scriptum reperitur: *Sangvinem vestrarum animarum reqviram de manu cunctarum bestiarum:* Sed & pœna speciatim designata, *Exod. XX. 28. Si Bos cornupeta percusserit virum aut mulierem & mortui fuerint, lapidibus obruatur:* Et *Levit. XXI. 15. Qvi cum jumento vel pecude coierit: morte morietur, pecus qvoq; occidite:* concordat *can. mulier. 15. q. 2. mulier qvæ accesserit ad omne pecus & vult ascendi ab eo, interficietis mulierem & pecus morte moriatur:* Cui respondet, qvod in Concilio Wormatiensi jubeantur interfici Apes, qvæ hominem occidissent. Zoës. *ad ff. tit. de pœn. n. 2..* Sic Plinius narrat *lib. 8. c. 18. visos fuisse in Africâ Leones suspensos, qvod ab iis fuissent obsessa urbes.* Gvido

316. n. 6. & seq. Moribus hinc inde receptum esse asserit. B. Joh. Andr. Frommann. Profess. Tübingensis, cum viveret, celeberrimus, *in Dissert. ante 18. annos ibid. hab. de Mer. Imper. in bruta c. 3. n. 22.* ut cum Nemesi Carolina hominibus nefando crimine Sodomiæ cum bruto se polluentibus ignis constitutus sit, *art. 116.* hæc ipsa abolendi ratio in brutis observetur; imò ab ipso Carol. V. *in d. art. 116.* introducta dicatur. à Matth. Stephan. *d. l. lib. 1. c. 6. n. 167.* Et certum est, Germaniæ judicia hunc morem seqvi: qvi & lege scripta in Ducatu Würtenbergico confirmatus *in Nov. Würtenb. Constit. 1. §. 27.* cujus verba citata reperiantur ap. B. Dn. Fromman. *cit. loc.* multaq; hujus rei causa adduxit præjudicia Carpzov. *in pr. Crim. q. 76. n. 34. 39. 45. & seqq.* Et ita à Collegiis Prudentum qvotidiè responderi solet, & non ita pridem, ante aliqvot modò septimanas, Amplissima hujus loci Facultas Juridica respondit in pto. Sodomiæ. Circa alteram speciem autem, qvâ homo à bestia aut pecude occiditur. (Hæ enim duæ modò moribus nostris sunt criminum species, ex qvibus plecti animalia solent. Vid. Joh. Thomæ. *in tr. de Noxâ animal. c. 27.*) variatur & pœna mortis minus freqventatur: Nihilominus mihi retulit Dn. Præses, Venerandus Dn. meus Patruus, se ante 35. annos in Geldriâ bovis caput palo infixum vidisse, inqvirens in causam, relatum ipsi, bovem illum cornupetam hominem occidisse, jussuqve loci Magistratus à carnifice decollatum, caput palo infixum & cadaver terræ mandatum: Notum insuper qvod Parricidæ culeo insuti cum gallo gallinaceo, viperâ & simiâ in vicinum mare vel amnem projici & enecari debeant *l. 9. ff. ad L. Pompej. de Parricid §. 6. Inst. de Publ. Judic.* & ib. Dd. cur verò hæc animalia culleo inseri debeant, videre est apud Matth. Stephan. *d. l. n. 163. & seq.* qvo me remitto. Sed absonum hoc ferè videtur, cum affectu delinqvendi & dolo careant bruta animalia, & tamen puniri debeant. Wesenb. *ff. de pœn. n. 6.* Regulare autem est, ubi culpa non est, ibi pœnam non poni: culpam in bruto defectus sensus removet, ut & pœna removenda videatur. Zoës. *ff. h. t. n. 30.* Sed Respondeo, in animalia bruta qvando suppliciorum severitas extenditur, id non fieri ratione delicti veri & ad formalem punitionem, sed materialiter tantum & ratione terroris majoris hominibus incutiendi, Thomæ. *d. l. c. 27.*

Bachov.

Bachov. *ad Trentl D. 2. th. 6. lit. B.* Seu, ut clarius hæc proponam: in Animalia animadvertitur. 1. interdum non tam principaliter & directè, sed qvatenus delictum hominis conjunctum est, ad abolendam facinoris ab iis perpetrati memoriam, qvò pertinet *cit. loc. Exod. XX. & C. C. Carol. V. art. 116.* 2. non formaliter, qvoniam in bestias non propriè delictum cadit, sed materialiter tantum ratione ipsius facti. *Exod. XXI. 28.* Deniqz in pœnam hominis animalia qvædam adhibentur. *§. 5. l. de Publ. Jurisd.* qvæ tamen respectu bestiarum pœna non est, sed usus tantum dominii humani juxta doctrinam Grotii *de J. B. & P. 2. c. 21. §. 11.* qvod frustra & sine sufficienti ratione, ut mihi videtur, reprehendit Ziegler. *ad d. l. Grotii.*

XXI.

Qva *Res inanimatas* non desunt qvidem exempla, qvod & in has antiqvitus animadversum sit, originem hujus rei recenset Joach. Stephan. *de Jdict. Græcor. c. 2. c. 4. n. 16. 17. & seqq.* Draco antiqvissimus Atheniensium Legislator præter bruta & res inanimatas punienda judicavit, ut ligna, lapides, ferrum aliaqve si delapsa hominem occidissent, eaqz urbe agroqz exterminanda statuit. Qvo facit, qvod ex Pausania refert Zoës. *ad ff. de Jdict. 31.* Æleos damnasse bovem æneum, eumqz deportari jussisse, qvod ejus ori pueri ludentis caput illisum necis causam tribuisset. Sic Diomedis Athletæ statua à Thasiis damnata & in mare abjecta est, qvod hominem casu oppressisset. Petr. Gregor. Tholos. *Syntagm. lib. 36. c. 25. n. 9.* Joachim. Stephan. *d. l.* De Theaginis statua (alii Niconis Thasii fuisse volunt. Vid. Thoma *de noxa anim. c. 27. n. 15.*) idem refert, in qvem virum cum Adversarii ulciscendi libidinem explere non poterant, mortuum contumeliis insectari attentarunt, & ideò noctu qvidam ex his ingressus est fanum, in qvo statua collocata erat, eam flagris cædebat, ex qvâ cæsione mota statua collabendo adversarium oppressit: Ensem qvoqve s. gladium, qvo homo occisus est, Parlamentum Tholosanum suspendisse adducit. Harprecht. *ad §. 1. Si quadrup. pauper. n. 2.* conferatur Forner. *lib. 1. Select. c. 8.* ubi

n. 5. ad extingvendam memoriam delendaq; vestigia sceleſtorum Dominorum: qvanqvam Cicero potius ad memoriam pœnæ publicè conſtitutæ id factum dicat, ſive ut illorum facinus memoria & nomine loci notaretur, in qvem finem ſæpius ædium dirutarum loco columnæ infamiæ, Schand-Seulen/ erigi ſolent Petr. Theodoric. *in Colleg. Crim. Diſp. 10. th. 3. lit.* Et memorabile exemplum adduxit B. Frommann. *in cit. Diſp. de Mer. Imp. in Brut. c. 6. n. 8.* Imò qvotidiè videmus, ſecures, gladios, ſicas, cultros & ſimilia inſtrumenta, qvibus delicta ſunt commiſſa, patibulis & palis numellis affigi & ſuſpendi; ut recordatione periculi alieni horror injiciatur hominibus à ſimilibus delictis. Matth. Stephan. *ſupr. cit. c. 6. n. 178.* Zoëſ. *d. l.*

XXII.

Objectum Juris Gladii ſ. Meri Imperii ſunt delicta, & qvidem publica, vel potius omnes cauſæ criminales, qvibus nempe ex delictis criminaliter agatur. Bocer. *de Jdict. c. 1. & 5.* Scrag. *in introd. Pand. tit. de Jurisd. §. 19.*

XXIII.

Forma alia *eſſentialis* eſt, alia *accidentalis*: Ad *illam* referri poteſt. 1. Qvod Jus Gladii ſ. Merum Imperium Jurisdictioni non ſubſerviat, ſed potius Jurisdictio illi: Non enim propterea de criminibus cognoſcitur ab illo, qvi id habet, ut in cognitione & ſententiâ acqvieſcere velit, ſed ut poſtqvam per ſententiam de crimine & facinore conſtiterit legitimam pœnam aſſeqvi poſſit. Et hoc eſt, qvod dicitur, Jus Gladii *principaliter* tendit ad animadverſionem ſ. coërcitionem, *ſecundariò* verò ad cognitionem & definitionem. Scrag. *d. l. §. 20.* 2. Qvod Jus Gladii non jure Magiſtratus, ſed ex ſpeciali legis, SCti vel conſtitutione Principis competat. *l. 1. §. 1. ff. de Offic. ej. cui mand.* Ad *hanc* ſpectat, qvod Jus Gladii ſive Merum Imperium aliis plenius, aliis parcius datum ſit. Vid. *ſupr.*

XXIV.

Jam juxta electam methodum ſubjungo Finem et Effectum: Juris Gladii *Finis* eſt inflictio pœnarum circa cauſas criminales, imò vindicta delictorum eorumq; coërcitio: qvamvis hæc remotior, illa proximior dici poſſit. Ex qvo ſeqvitur *Effectus* pax & tranqvillitas Reipubl. & qvod boni efficiantur cives non minus metu

pœna-

pœnarum, qvàm ſpe præmiorum, ut loqvitur Ulpian. *in l. 1. ff. de J. & J.* qvamvis & hunc *Ultimum* dicere poſſum Effectum, *Intermedium* autem duplicem facere, *primum* & ex *primo* ortum: Ad illum refero actus, qvos qvis vi Meri Imperii exercet, qvi duorum generum ſunt, *cognitionis* ſcil. & *animadverſionis*: jamdudum enim exploſa eſt opinio, qvi cognitionem ab animadverſione ſepararunt, illam nomine Jurisdictionis criminalis, hanc demum Jus Gladii ſive Merum Imperium appellantium, qvæ ſententia eſt Obrechti & qvi hunc ſeqvuti ſunt. Facit interim pro hâc meâ ſententiâ tum *l. 6. ff. de Offic. Procoſſ.* tum qvod animadverſio ſine prævia cauſæ cognitione & ſententiâ fieri neqveat: Unde cui illam, etiam hanc conceſſerunt LL. noſtræ Romanæ. Frantzk. *ad ff. tit. de Jdict. n. 54.* Vinn. *de Jdict. c. 1. n. 9.* Animadverſionis autem varios gradus & genera Dd. faciunt, ubi tamen hæc ab illis, ut ſupra jam monitum eſt, diſtingvi oportet: uti enim genera pœnarum infinita ferè ſunt, ita gradus animadverſionis non qvidem ſex, uti Bartolus *ad l. 3. ff. de Jdict.* voluit, qvos examinat Obrecht. *de Jdict. c. 7. n. 31. & ſeqq.* & Matth. Stephan. *de Jdict. 1. c. 7. n. 8. & ſeqq.* Nec 4. ſecundum qvatuor elementa, uti nonnulli exiſtimarunt, qvaſi qvidam Magiſtratus habeant poteſtatem puniendi in terrâ, ut qvi vivos ſepeliunt. *l. 3. C. de Epiſc. aud.* qvidam in igne, ut qvi veneficos comburunt, qvidam in aëre, ut qvi fures ſuſpendunt, qvidam in aqvâ, ut qvi facinoroſos ſubmergunt. Maſcard. *de prob. concl. 403. n. 4.* cum ibid. allegat. Aſt malè, ut oſtendit Matth. Stephan. *cit. loc. c. 7. n. 4. & 5.* ſed tribus ordinibus commodè comprehendi poſſunt. *arg. L. 28. ff. de pœn.* Scip. Gentil. *lib. 3. de Jdict. c. 6.* Stephan. *d. c. 7. n. 18. & ſeqq.* Obrecht. *d. l. c. 7. n. 2.* Inter qvos, *Primus gradus* ſ. ordo complectitur pœnas, qvibus mors naturalis irrogatur & vita naturalis adimitur. Huc pertinent capitis amputatio, ad furcam damnatio, crematio, fumigatio, vivi in partes diſſectio C. Cr. Carol. V. *art. 124.* ſubmerſio, ſtrangulatio, membrorum per rotas fractio. *art. 130.* & humatio fœminæ vivæ. *art. 131. Conſt. Crim. Carol. V.* & ſimiles. *Secundus* continet pœnas, qvæ morti

referuntur pœnæ, qvibus corpus hominis mutilatur, ut qvando oculus eruitur, manus vel pes amputatur. *Nov. 134. c. ult.* digiti vel aures abſcinduntur, lingva vel labia amputantur vel perforantur, Damnatio in metallum *L. 8. §. 4. & L. 12. ff. de pœn.* & in opus metalli, qvæ duo qvomodo differunt, videre eſt *in L. 8. §. 6. ff. de pœn.* In opus publicum damnatio, *L. 17. pr. ff. eod.* Damnatio ad triremes ſive ut vocant Galeras Gothofr. *ad cit. L. 17.* Aqvæ & ignis interdictio (olim enim Romæ civem facinoroſum ultimo ſupplicio afficere, eiq; ſpiritũ & vitam adimere nefas erat. Joach. Steph. *de Jdict. 1. c. 2. n. 22.* ideoq; talibus aqvam & ignem interdicebant, qvi privati uſu elementorum nolentes volentes urbe exire compellebantur) In cujus locum poſtea ſucceſſit deportatio *L. 3. pr. ff. ad L. Jul. peculat. L 2. §. 1. ff. de pœn.* in Inſulam, qvæ à continenti diſtabat 400. milliaribus Cujac. *6. Obſ. 39.* Et in hujus locum iterum Bannum Imperii migraſſe multi Dd. volunt, qvod tamen planè diſplicet Bocero *de Jdict. c. 5. n. 36.* & nonniſi ſecundum qvid concedit. Strauch. *Diſſert. univerſ. jur. 20. th. 9.* cum non exigua inter hæc duo differentia ſit Gail. *2. de P. P. c. 1. n. 20.* Jul. Clar. *5. ſent. §. fin. qvæſt. 67. & 71.* *Tertius gradus* reliqvas continet pœnas, qvæ ad exiſtimationis, non verò ad capitis vel ſtatus periculum pertinent, ut fuſtigatio, relegatio, confinatio, cum ſcil. qvis non relegatur ſed ei certus locus, certiq; fines, ex qvibus non excedat, aſſignantur, elegans exemplum extat *1. Reg. II. 46.* & integra Dn. Strykii *Diſput. de Confinat.* Stigmatis inuſtio, Expoſitio ad numellas, Impoſitio lapidis famoſi ſive ſcandali. Mynſing. *conſil. 16. n. 26.* Infamia, Privatio dignitatis, *l. 2. §. 2. verſ. ſed ſi ff. de his qvi infam. not.* Cujac. *27. Obſerv. 8.* Mulctatio & Carceris pœna, &c. Beſold. *conſ. 3. c. 1. n. 20. & 27.* Ubi tamen obſervandum, qvod de carcere & mulcta hîc dicitur, non aliter obtinere, qvàm ſi in causâ criminali dictata vel impoſita ſit, hæ enim pœnæ mero & mixto Imperio communes ſunt. Vid. Scip. Gentil. *d. l. 3. c. 10.* Struv. *ad ff. exerc. 4. th. 77.* Bachov. *ad Treutl. 1. D. 3. th. 4. lit. D. & E.*

XXV.

Ad Effectum Ortum refero varia remedia pro vindicando jure gladii ſ. mero imperio prodita, qvæ ſunt vel *extrajudicialia* ut ſi in continenti & propria authoritate qvis ſe opponit Turbatori, eumq;

repellit *arg. t. t. qvando licet unic. sine jud. l. 1. C. unde vi.* vel *judicialia.* Et hæc iterum sunt vel *petitoria*, vel *possessoria*: *Petitoria* vel realia, vel personalia: Inter *Realia* est actio confessoria & negatoria utilis: Qvamvis enim Vaud. *2. qq. 27.* & alii actionem confessoriam & negatoriam tantum ad servitutes, non etiam ad alia jura incorporalia pertinere arbitrentur, erroneum tamen hoc est, ut ostendit Sneidwin. & alii Dd. *ad §. 2. Inst. de Act.* Ad personales actiones forsan referri possunt, qvas conventio, qva hoc Jus Gladii acqvisitum, producit, (qvod tamen non caret dubio, ut conflictus dabit,) it. act. injuriarum tam civilis, qvàm criminalis *arg. l. 13. §. ult. & l. 23. ff. de injur.* *Possessoria* sunt varia, prout vel ademptum hoc jus, vel imminutum, vel in eo qvis modo turbatus est, ut *illo casu* Interdicta recuperandæ possessionis sive jure civili s. canonico introducta: *Hoc*, interdictum uti possidetis s. remedium manutenentiæ &c. arg. eorum qvæ habent Bocer. *de Jdict. c. 10.* Matth. Stephan. *de Jdict. 1. c. 40.* Gail. *de pignorat. Observ. ult.* & Rutgers. Ruland. *de Commiss. & Commiss. Part. 3. lib. 5. c. 18.*

XXVI.

Supersunt CONTRARIA, ad qvæ refero modos, qvibus Jus Gladii s. Merum Imperium amittitur, & vulgò tres constituuntur: Renuntiatio s. Resignatio, Non Usus & Abusus: Et qvod 1. *Resignationem* attinet, vix dubium videtur subesse, qvin inferior, qvi vel à supremo Principe vel Domino territorii, per privilegium vel aliam superioris voluntatem expressam, vel tacitam Jus Gladii obtinuerit, suo juri renuntiare possit. *arg. l. 21. C. Mand. l. pen. C. de Pact. l. 41. ff. de minor. Nov. 136.* idqve ideò nonnunqvam fieri censeo, qvia Jus Gladii onerosum potius qvam lucrativum est, & magis honorificum, qvam proficuum. Tenetur enim Magistratus onera Jurisdictionis criminalis sustinere in processu inqvisitorio. Carpzov. *Pr. crim. q. 138. n. 39. & seqq. n. 62. & seq.*

XXVII.

2. *Non utendo & Præscriptione* amittitur Jus Gladii s. Merum

vel ad alterius vicini forsan prohibitionem acqviescit per tempus ad præscriptionem sufficiens : non usus enim instar præscriptionis habet. *Cum occasionem habeat*, dixi ; Nam deficiente occasione delinqventes puniendi, & actus possessorios exercendi Jus Gladii sive Merum Imperium non amittitur. Gail. *2. Obs. 60. n. 6. & ibid.* Bernh. Grevæus *consid. 2.* Mascard. *de prob. conclus. 646. n. 11.* asseverans. qvod licet per 100. annos homo aliqvis in furcis suspensus non sit, adhuc nihilominus Jus Gladii s. Merum Imperium subsistere immotum. Conf. Sinolt. Schutz. *jur. publ. vol. 2. D. 8. th. 7. lit. C.* Minimè verò huc referri debet casus, ubi patibula s. furcæ diu collapsæ fuerint, ut potius collapsarum loco novas erigere possit. *arg. l. 2. ff. de Jdict.* Gail. *d. l.* Furcæ s. Patibuli erectio enim semper cohæret Juri Gladii s. Mero Imperio Cardin. Thusc. *lit. F. conclus. 537.* Zieritz. *ad Constit. Crim. art. 116.* Licet expediat erectas potius conservare, vel collapsas sine morâ erigere atqve sic possessionem continuare, utpote qvod ad evitandam omnem hâc in re controversiam ut plurimum proficit. Vid. Grevæus *cit. l. n. 9.*

XXVIII.

Amittitur 3. qvoqve Jus Gladii *Abusu* : Ut enim omne jus & privilegium abusu amitti dicitur, ita qvoqve Jus Gladii s. Merum Imperium, idq; non tantum directò propter crudelitatem & nimiam sævitiam. Gail. *1. Obs. 17. n. 2.* Carpzov. *1. Respons. 53. n. 11.* Matth. Stephan. *de Jdict. 1. c. 39. n. 7. 8. & seq.* Sed & per consequentiam, amittendo, e. gr. feudum, cui cohæret Jus Gladii : Regula enim generalis est, ex qvibus causis vasallus feudo privatur, ex iisdem Jurisdictionem (adeoqve & Jus Gladii feudo cohærens) amittit. Cravetta *consil. 597. n. 8.* His meritò annumeratur qvævis alia culpa seu gravius delictum, ob qvod in bannum Imperii qvis incidit : Talis enim à fide & tuitione Sacri Imperii excluditur, & in discrimine vitæ fortunarumqve constituitur, nihilqve proprii retinet. Gail. *de Pac. Publ. 2. c. 1. n. 21.* Matth. Stephan. *d. l. n. 12.* Minimè autem huc pertinet Mors concedentis. *c. 2. de Offic. Legat. in 6.*

Tantum!